

sponebat die 25. Nouembr. Hæc verò gesta sunt circa initium Martij; & tamen dicunt *nunc*, seu modo; ac si eo die res accidisset, quod dicunt per exaggerationem, vt vult Maldonatus, vt solent facere homines timidi; qui semper præteritum discrimen in præsentia considerant; & vt hoc dicendi modo magis Magistrum auerterent ab itinere: vel fortè dicunt *nunc*; quia irrogata Magistro iniuria sic eis erat fixa in mente, ac si in præsentiarum fuisset illata. *Quærebant te Iudæi lapidare.* Albertus Magnus ait, quod discipuli hæc dixerunt, non vt ei contradicerent, sed vt ab eo illuminarentur, ac docerentur. Tamen dicendum est cum Chrysofomo, Euthymio, Ruperto, B. Thoma, quod hæc dixerunt contradicendo, vt ipse ab itinere desisteret, cum enim Christum eximè diligere, imminens periculum ei metuebant, vt ait Carthusianus. Vnde cum Dominus de sua passione fuisset locutus ei dixit Petrus, *abstine à te Domine*, Matth. 16. Deinde discipuli maxime sibi metipsis timebant periculum, vt cum Chrysofomo, ac aliis notabo in limine quaestionis sequentis. Hæc tamen dixerunt discipuli, vt notant D. Cyrillus, ac vterque Theodorus, quia nondum erant multi perfecti, nondum satis intelligebant, non posse Christum quidquam pati, nisi volentem.

Respondit Iesus: nonne duodecim sunt hora diei? Satis vulgare est apud Iudæos, diem naturalem, quæ nocti opponitur ex duodecim horis constare; quo pacto Lyranus, Hugo, Carthusianus, D. Antoninus, Caietanus, Titelmanus, & alij interpretantur, quod Dominus in præsentia vult denotare, quod sicut diei horæ mutantur, sic etiam in horas mutantur hominum voluntates, atque consilia; ac proinde si Iudæi quærebant me lapidare, potuerunt tamen eorum voluntates mutari. Hoc tamen non cohæret, cum infinita scientia Christi, qua videbat Iudæorum voluntates non esse mutatas, sed obfirmatas in odio erga eum.

Sensus genuinus est. Quemadmodum certum, ac definitum est spatium diei naturalis, quod à nemine nec minui, nec elongari potest: si quis ambulauerit in die, non offendit. Non incurrit in saxa, aliâque offendicula; nam videt illa per lucem diei, ac proinde illa elucet, ne in ea impingat: quia lucem huius diei videt. Sic denotat Christus, spatium temporis vitæ meæ mortalis à diuina Patris simul, & mea prouidentia certum, ac determinatum est, de quo Iudæi mei aduersarij nec momentum quidem detrahere possunt, ac proinde quoadu est dies vitæ meæ à Patre constitutus nulla offendicula, nullæque insidiæ Iudæorum à vobis sunt timenda; nam lumine diuinæ scientiæ omnia videntur, vt cauantur, ac declinentur, & idè securè possum iter facere in Ierusalem absque eo, quod incidam in manus Iudæorum. Ita Rupertus, Tolertus, Maldonatus, Lucas Burgenf. Barradas, Cornelius, qui varias Patrum sententias symbolicas referunt.

Si quis ambulauerit in nocte, offendit. Qui enim degit in nocte in multa offendicula, ac saxa incurrit, quia lux non est in eo, vt illa offendicula valeat euitare, denotat Christus, quod cum venerit nox mortis suæ, ac eius vitæ occasus à Patre determinatus, quod tunc incidet in manus inimicorum, vt morte afficiatur, cum lux vitæ suæ temporalis ex decreto Patris sit finita: tanquam si dicat Christus, & tunc vos. ô discipuli mei, Iu-

dæi persequentur, & occident, vt pote meos discipulos, sicut & me persecuti sunt, & occiderunt. Ita citatus Rupertus, & alij Auctores proximè allegati.

QVÆSTIO V.

Quare cum Christus recessisset à Iudæis ipsum intendentibus lapidare, modo vult iterum repetere Iudæam?

CVM Christus Dominus dixisset: *Eamus in Iudæam*: Respondent discipuli, quomodo Iudæi eum voluerunt lapidare. *Et iterum vadis illuc*, dicunt. Sic loquuntur veluti solius Christi curam habeant, cum tamen, vt ait D. Chrysofomus homil. 61. *Timebant enim ei, potissimum autem sibi*: frequenter sic homines affectus suos abscondunt, & palliant, & dum de aliis sollicitos se exhibent, potissimum de se ipsis agunt, & tunc sibi consulunt, cum alienæ videantur saluti consulere. Quæstio tamen est, quare cum Dominus prouidè discesserit à Iudæa ob implacabilia Pharisæorum odia, iterum tamen animosè vult repetere Iudæam?

Respondet primò Theophylactus. Dicebant discipuli ait: *Modo quærebant te Iudæi lapidare, & iterum vadis illuc? At ipse animat illos, & dicit: sicut qui videt lucem non offendit, ita & qui bonum facit, & in lucis operibus ambulat, nil graue experitur.* Cum itinere Iesus obiiiciunt discipuli, modo Iudæi voluerunt te lapidare. Diluit Iesus, & eos animat, dicendo: *Qui ambulat in luce non offendit.* Ac si dicat, qui ambulat in operibus lucis, diuini amoris, zeli honoris Dei, ac eius gloria, pro qua dixerat esse infirmitatem illam. *Non est ad mortem, sed pro gloria Dei.* Non offendit, nullum offendiculum, ac periculum timet. Ac proinde Christus Dominus cedens furori, ac iræ Iudæorum; fugit antea per aliquod tempus prudenter, nunc modo Lazarum reuocaturus in vitam, intrepidè aduentat ostendens insuperabiles vires zeli diuini, ac honoris, qui in lucis operibus ambulat, nil graue experitur. Non odij succumbet insidiis, sed mortis gloriosis coronabitur triumphis.

Secundò, disponit Iesus ire in Iudæam contemnens proprium periculum, cum Iudæi eum velent lapidare, vt tamen salutem amico suo Lazaro impendat; vera enim amicitia pro stipendio habet vitam exponere pro dilecti commodo. Seneca epist. 9. *In quid, ait, amicum parò? vt habeam pro quo mori possim; vt habeam, quem in exilium sequar, cuius morti opponam, & impendam.* Cassiodorus lib. de amicitia: *Quid sit, ait, vera amicitia, nondum nouit, qui vult aliam esse mercedem quam ipsam. Vita enim corporis pro amico ponenda est, & nihil eorum negandum, quæ licent.*

Tertiò, cum Dominus dicit: *Eamus in Iudæam.* Obiiiciunt discipuli: *Rabbi nunc quærebant te Iudæi lapidare, & iterum vadis illuc? Ac si dicant: Cur iterum tua præsentia Iudæorum flammæ vis excitare? Responder Dominus: Nonne duodecim hora sunt diei? Denotans, quod diuersæ sunt occasiones horarum, ac temporum; ac si dicat Dominus: Heri prudenter à manibus inimicorum meorum furentium me subduxi; nec enim sine urgente causa vita periculis exponenda*

Prelatus pro subditis expomat vitam discrimini.

nenda est; modo verò ratione muneris mei impellente Iudæam repetere teneor, negotium est enim de salute meæ ouis, ac mei subditi. Et cum in hoc puncto in discrimen sit mea vita, vel subditi mei, hæc meæ propriæ anteponenda est, & ideo vsuram propriæ vitæ contemno, vt meis subditis consulam. Hanc eximiam Christi charitatem in suos imitari sunt omnes viri Apostolici. Nam vt ait D. Gregorius Nazianzenus in illud Pauli ad Philippenf. num. 23. *Coarctor autem è duobus*: sic fatetur: *Hic enim spiritualis omnis imperij finis est, ubique priuata utilitate neglecta commodis aliorum consulere.*

48. 2. Cor. 12.

Ait Paulus 2. Corinth. 12. num. 15. *Ego autem libentissimè impendam, & superimpendam pro animabus vestris, licet plus vos diligens minus diligar.* Non solum ait, quod pro suis Corinthiis vitam impendat, sed addidit: *Superimpendam, id est iterum, atque iterum, & millies superimpendam.* Eximia charitas Pauli pro suis subditis, non solum volebat semel vitam, & sanguinem dare, sed etiam millies, si occasio postularet, novos vitæ, mortisque vsus præ amoris magnitudine intentabat excogitare, vt suis proficeret, ac ancillaretur. Addit Paulus: *Licet plus vos diligens, minus diligar.* Id est licet vos multum diligam, non tamen multum diligor à vobis. D. Chrysofomus ibi: *Quod maius est, ait, hæc omnia is præstabat, à quibus non magnopere diligebatur.* Si ergo Paulus paratus erat vitam impendere, & superimpendere, iterum, ac iterum, & millies dare pro illis, à quibus non magnopere diligebatur: quanto magis Christus, cuius charitas in immensum maior erat, vitam impenderet, & superimpenderet pro iis, à quibus magnopere amabatur? Et quomodo omnem Iudæorum furorem non contemneret, vt suo subdito, ac amico Lazaro subueniret? Vide cap. 19. num. 72. 73. & 74. Vide multa tom. 1. 2. ac 3. verbo *Prelatus*.

Chrysof.

Homines sibi consulunt, dum alijs videntur consulere.

Paulus pro suis vitam impendit, & superimpendit.

Chrysof.

45. Theophyl.

Qui in lucis operibus ambulat, nil graue experitur.

Ioan. 11. n. 11. Hæc ait, & post hæc dicit eis: *Lazarus amicus noster dormit: sed vado, vt à somno excitem eum.*

Num. 12. Dixerunt ergo discipuli eius: *Domine si dormit, saluus erit.*

Num. 13. Dixerat autem Iesus de morte eius: illi autem putauerunt, quia de dormitione somni diceret.

Num. 14. Tunc ergo Iesus dixit eis manifestè: *Lazarus mortuus est.*

Num. 15. Et gaudeo propter vos, vt credatis, quoniam non eram ibi: sed eamus ad eum.

VERSIONES.

Syrincus n. 11. Et postea subdit eis: *Lazarus amicus noster dormit: sed proficiscor eum excitaturus.*

Sylueira in Euang. Tom. IV.

D. Ambrosius. Vado, vt à somno suscitarem eum.

Arabic. n. 12. Si est dormiens, expergiscetur.

Syriacus. Domine noster, si dormit, bene valebit.

Arias. Si dormit, seruabitur.

Arabic. n. 13. Et tatummodo significauit verbo suo de morte eius.

Pagnin. n. 14. Tunc dixit eis liberè.

Syriacus. Tunc dixit eis Ieschua explicitè.

Syriacus n. 5. Sed gaudeo me illic non fuisse propter vos, vt credatis, sed illuc proficiscimini.

EXPOSITIO IV.



ABC ait. Vt suos securos à periculo redderet. *Lazarus amicus noster.* Quem iam non viuum, sed mortuum agnoscebat, amicum appellat, vt pote cui iam defuncto obsequium pietatis debebat impendere, vt eum à mortuis excitaret, cum posset. Euthymius: *Dicit amicus noster, ostendens necessarium esse ad eum professionem.* Et ait: *Amicus noster, id est meus, & vester, vt iure amicitia discipulos ad commiserationem commoueret; & faciles ad iter redderet.* Nonnus scribit: *Amicissimus noster hospes.* Memoria tenebat, & discipulis obiiiciebat obsequium hospitalitatis antea præstitum, vt donis modo illud Lazaro mortuo recompenfarent. *Dormit.* Qui breui à morte, sicut è somno surrecturus est; *Sed vado.* Nam quamuis absentem posset suscitare, tamen ad maiorem excellentiam miraculi voce, ac præsentia sua sepultum, & quatrimum voluit reuocare in vitam. *Vt à somno excitem eum.* Non dicit eamus, vt à somno excitemus, sicut supra dixerat: *eamus in Iudæam.* Sed ait, vt à somno excitem eum; nam miraculi ipse futurus erat operator, discipuli verò spectatores tanti miraculi, voluit vt ipsi essent firmi, & fideles testes.

Dixerunt ergo discipuli. Particula, ergo, illationem indicat ex verbo præcedenti, quia nempe audierant eum dormire. *Si dormit, saluus erit.* Non dicunt: *saluus est, sed erit.* Somnus enim prognosticum est futuræ sanitatis. Sic ait D. Augustinus tract. 49. in Ioan. *Solet enim esse somnus agrotantium salutis indicium.* Et quamuis sint aliqui morbi, in quibus somnus mortis est indicium; tamen discipuli commune, prouerbum respexerunt, quod dicitur. *Si dormit, sanus est infirmus.* Ac proinde cum dicunt. *Si dormit, sanus erit, indicant, quod non est necesse, vt ad eum pergamus.* Ita N. D. Cyrillus, D. Augustinus, Leontius, & alij. Ecce quot argumenta facit humanum ingenium, vt diuinum consilium ad sua vota trahat, aliisque hominibus caelestia dona impendat.

Dixerat autem Iesus de morte eius, illi autem putauerunt, quia de dormitione somni diceret. Nam simpliciter, acceperant verbum iuxta sonum vocis non symbolicè, vt Christus intelligebat de morte. Et satis apertè Christus significabat somnum illum rem esse valde nocuam Lazaro, quia Dominus dixerat se velle ire ad eum excitandum à somno, vt notarunt D. Chrysofomus,

Chrysof. Euthym. Carthuf.

mus, Euthymius, Carthusianus. Quis enim iter conficeret vnus diei, vel amplius, vt alium a dormitione excitaret? Nam si hoc opus erat facile a quolibet ex presentibus fieri poterat. Tamen ideo tarditas discipulorum nobis prapronitur ante oculos, vt virtus Iesus in illis paulo post exponendis illustrior agnoscat.

51.

Tunc ergo Iesus dixit eis manifeste. Seu explicite, ac clare, vt alij legunt. Illa particula illationem ex precedentibus importat, quia non intellexerunt sensum verborum Christi, sed materialiter vocem somni capiebant; ideo aperte eis ait; quod somnus, de quo loquitur, mors sit Lazari.

52.

Et gaudeo propter vos. Quae verba sic sunt ponenda, ac coniungenda. Gaudeo propter vos quoniam non eram ibi, in domo Lazari, vt credatis. Explicat, vt ait Rupertus, sui gaudij causam, cum ait, propter vos, propter nempe vestram vilitatem, ac commodum, quoniam non eram ibi. Loquitur vt ait Euthymius, tanquam homo. Nam diuinitate non abfuerat. Vt credatis. Verbum credere hoc loco, vt notatunt D. Augustinus tract. 49. in Ioannem, D. Thom. D. Bonauent. Non significat fidei initium, sed illius progressum, id est vt robustius, plenius, ac perfectius fides vestra, de me confirmetur.

Rupertus.

Euthym.

August. D. Thom. Bonau.

53.

Ex eius absentia dupliciter maxime fides discipulorum roboranda erat; & primo, vt explicat N. D. Cyrillus, Euthymius, Rupertus, S. Thomas. Nam si in Bethania Dominus adesset, cum Lazarus aegrotaret, vel esset recenter mortuus, Dominus ad preces Matheae, & Mariae, vel eum infirmum sanaret, vel recenter mortuum suscitaret. At verò ex eius absentia data est occasio, vt quadriduum mortuum, sepultum, ac iam foetidum suscitaret, quod erat maximum miraculum ac illusterrimum opus solius virtutis diuinæ. Secundo, D. Augustinus, Beda, Carthusianus. Gaudeo quod non essem ibi, vt ex hoc magnum argumentum diuinitatis meae habeatis, quia vobis absentia dico; nam Lazarus, qui denunciatus fuerat infirmus, vobis mortuum declaro, vt ex hoc aperte credatis me esse Deum, filium Dei, ac verum Messiam.

August. Beda. Carthuf.

54.

QUESTIO VI.

Quare Lazari mors somnus nuncupatur?

Quod Ivs Augustinus tractat. 49. respondet primo: Lazarus ait, Domino dormiebat; hominibus mortuus erat, qui eum suscitare non poterant. Nam Dominus tanta cum facilitate excitabat de sepulchro; quanta tu non excitas dormientem de lecto. Mors illa erat veluti somnus per respectum ad Christum; tam facile enim mortuum quadriduanum & sepulchro euocauit ad vitam, ac si leuiter dormientem e somno excitasset; facillime diuina omnipotentia vnuerfa miracula; ac mirabilia operatur, ac exequitur. De subuersione Pharaonis; ac omnis exercitus eius decantat Moyses: *Extendisti manum tuam, & deuorauit eos terra*, Exod. 15. num. 38. Bene Caietanus ibi: *Tam facile*, ait, *Deus miraculum facit, ac si dumtaxat manum extendisset*. Ita Deus funditus omnes Aegyptios, ac eorum potestatem euerit, ac homo aperit, & extendit manum.

Diuina omnipotentia facile omnia operatur.

Exod. 15.

Caietan.

Secundo. Theophylactus: *A fastu*, ait, *alienus erat*. Nolebat enim ad ostentationem facere, sed occulte resurrectionem excitationem a somno nominauit. Obscure, & allegoricè modestia causa loquitur, ne arrogantius se iactare videretur, si diceret se ad resuscitandum mortuum ire, sed magnitudinem beneficij abscondens, mortuum dormientem dicit suscitandum. Magnifici animi est beneficia a se collata non exaggerare, sed potius extenuare. Intrat domum principis Synagogae, vt filiam suscitaret, scribit D. Matth. 9. num. 23. *Cum venisset Iesus in domum principis, & vidisset iacobinas, & turbam tumultuantem, dicebat; recedite, non enim est mortua puella, sed dormit*. Omnes, vt verè mortuam deplorabant. Solus Iesus eam suscitaturus dormientem dicit. Nostri Medici leuem morbum, vt grauissimum praedicant, vt sui ingenij dexteritatem, ac artis praestantiam amplificent; solus Iesus mortuam, quam reuocare volebat ad vitam dormientem dicit, diuinæ virtutis elogium, quae praestat, non amplificat, sed occultat. Sedulius lib. 3. Paschal. cap. 12. *Cunctis corpus videbatur extinctum, soli Christo, qui ad vitam venerat largiendam sopor apparebat infusus. Et hoc quidem ad eius gloriam pertinet singularem, quod defunctum dixerit dormientem, vt admirabilium facta virtutum parentibus monstraturus, minus se donare praeuincians, quam donabat.*

55. Theophyl.

Matth. 9.

Magni animi est donum exhibita extenuare.

Sedulius.

56. Post Christum mors vt somnus, ac proinde non timenda.

Chrysof.

Gen 32.

3. Reg. 19.

Philip. 1.

Chrysof.

57. Ambros.

Psal. 3. Mors, requies, & delicia.

58. Iob. 17.

Tertio. Aderat iam Christus in mundo, post cuius aduentum mors iam non videtur mors, sed somnus: vt testatur D. Chrysofostomus homil. 32. in Mattheum, expendens haec verba Christi Domini: *Lazarus amicus noster dormit*. Sic ait sanctus Doctor: *His verbis docet non timendam mortem, cum ad conditionem somni iam redacta est*. Idem Chrysofostomus orat. de sanctis, Bernic. & Heliae cum Paulo; nam Iacob, & Helias maxime timuerunt mortis pericula. Iacob sic orabat ad Deum: *Erue me de manu fratris mei Esau: quia eum valde timeo*, Genes. 32. numer. 11. Patrens verò S. Elias audens minas Iezabel: *Timeo, & surgens abiit quocumque eum ferebat voluntas*, 3. Regum 19. num. 3. At verò Apostolus Paulus vehementer mortem exorabat. Dicebatque ad Philippens. 1. num. 23. *Habens desiderium dissolui, & esse cum Christo*. Cur in illis tantus timor, in hoc verò tantum desiderium? Respondet pulchre proximè citatus Chrysofostomus: *Illis, ait, formidabile, huic melius, ac merito sanè, olim enim mors ad inferos ducebat; nunc autem ad Christum mors transmittit*. Et cum nunc mors sit via, vt Christi praesentia fruamur, inde omnis amaritudo, ac acerbitas mortis dulcis, & suavis est. Quarto. D. Ambrosius lib. de Bono mortis, cap. 1. 1. *Somnum, ait, Scriptura nuncupant mortem, sicut est illud, Lazarus amicus noster dormit, somnus autem bonus; quoniam sicut scriptum est*. Ego dormiui, & requieui, & surrexi, quoniam Dominus suscepit me, Psalm. 3. num. 6. *Dulcis igitur quies mortis*. Per mortem enim homo a multis laboribus prementibus leuatur, ac superleuatur, & sicut fatigatus ex somno dulcedinem, ac requiem percipit, sic & a morte homo lassatus miseris huius vitae, a mortis quiete leuamen suscipit.

Ait Iob cap. 17. num. 14. *Puere diuini dixi: Pater meus es, mater mea, & soror mea vermibus*. Nullum nomen est suauius homini, quam nomen Patris,

Mors praestat homini delicias.

Origenes.

59. Genes. 31.

In vita timor, in morte requies.

Lyppom.

60. Ratio difficultatis.

61. Basil.

62.

Christus ex modestia suae virtutes abscondit.

tris, matris, ac sororis; per haec enim nomina explicatur summa indulgentia, benignitas erga hominem, quid dulcius patre vel matre? Cur ergo putredo, & vermes, qui homines corrodunt, & consumunt, cum his comparantur? Origenes ad ipsa verba: *Vt pueri*, ait, *consolatores habent parentes: sic ego mortem, & putredinem*. Parentes, & sorores inferunt pueris ad delicias, & lenamen, idemque obsequium mors, & putredo ipsi Iob praestabant.

Ait Iacob ad Laban, quod ipse denudatus ab omnibus bonis abiisset; *Nisi Deus patris mei Abraham, & timor Isaac, adfuisset mihi*, Genes. 31. num. 42. Intendebat dicere, quod Deus patris sui Abraham, & Isaac, ei maxime fuerunt in fauorem, & patrocinium. Tamen respectu ad Abraham Deum appellat; in ordine verò ad Isaac eundem timorem dicit; vnde tanta differentia, vt idem Dominus Abraham dicatur Deus, Isaac verò timor? Nam Abrahamus Deum timuit, sicut & Isaac. Quae ergo huius rei causa? Abrahamus iam e viuis excellerat; idè erga eum Deus nuncupatur ob eximiam requiem, & felicitatem quam ei concesserat. At Isaac adhuc in viuis degebat, inde erga eum timor dicitur; nam vita haec plena est timoris, & quandiu homo viuit, illo vindique circumdatus est Lyppomanus: *Deum, ait, igitur patris sui, id est autem Abraham nominat, iam quidem mortuus, sed cum Deo viuens, a cuius iam timore discedere non poterat in statu Sanctorum*. Vide supra cap. 22. num. 81.

QUESTIO VII.

Quare cum Dominus dicit Lazarum dormientem, statim addidit se velle ire ad eum suscitandum, non verò cum eum mortuum declarat?

QUESTIO praesens est: Cur quando Dominus dixit: *Lazarus dormit*. Statim addidit, *Vado, vt a somno suscitem eum*. At verò cum postea: *Dixit eis manifeste, Lazarus mortuus est: carnis ad eum*. Non tamen apponit ad suscitandum eum? Quare ergo cum illum dormientem dicit, statim de eius excitatione agit, ac loquitur, cum autem mortuum proponit, nec vnum verbum facit de suscitatione?

Ad quaestionem respondet D. Basilus Seleucus orat. 40. *Cum dicebat, Lazarus dormit; addidit: vado vt a somno excitem eum, cum verò dicit mortuus est; non id adiecit: vado, vt excitem eum: quia enim re comprobaturus erat, verbis autem dicere noluit, a vana gloria vbiq; docens alieniores esse, nihilq; simpliciter oportere promitti*. Quae verba ad multas considerationes magna indagine expendenda sunt.

Primo. *A vana gloria vbiq; docens alieniores esse*. Vbiq; diuinus humilitatis Magister modestiam suam demonstrat, vt suo exemplo suos ad similia instruat. Et quia ex priori facto, vt a somno suscitem eum, anquam facili, nullam gloriam: ex posteriori autem tanquam difficili maximam aucupari videretur; ideo non apposuit, vt suscitem eum. Vbiq; Dominus celat suam virtutem, vbiq; suorum operum magnalia minuit. Cum Petrus amputaret auriculam Malcho in Syluaria in Euang. Tom. IV.

horto his verbis repressit Dominus: *An putas; quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi plusquam duodecim legiones Angelorum?* Matth. 26. num. 53. Christus Dominus Angelorum cur dicit se posse a Patre postulare, vt illos Angelos exhibeat? Cur non potius ait, possum duodecim legionibus Angelorum imperare, vt huc citissime aduolent? Eleganter D. Thomas ibi: *Quia, ait, videbat Petrum praesentem, ideo dicit possum rogare Patrem meum: & non dicit, possum vocare, vel adducere*. Elatum discipulum sua modestia erudit Dominus: & ne feruus de sua potentia praesumat, ipse Dominus suam potentiam abscondit, & extenuat, non enim ait possum imperare, sed tantum rogare Patrem.

Matth. 26.

D. Thom.

63.

Non sit promissio de futuro, cum dare statim conuenit.

Secundo. *Que enim re comprobaturus erat, verbis ante dicere voluit, docens nihil simpliciter oportere promitti*. Cum dormientem dicit Lazarum, addit se ire ad eum excitandum, quod a quolibet assitente fieri poterat, at verò cum proponit mortuum nihil amplius addit, filius enim Dei non gaudet futurorum promissionibus, cum insignia dona statim largiri parat, statimque ipsa concedere conuenit, & expedit. *Docens nihil simpliciter oportere promitti*. Ille fidelis seruus dicebat domino suo: *Domine quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque lucratus sum*. Non dixit, in futurum lucrabo, vel acquisita reddam, sed in praesentiarum lucra adfuit, quae do, & reddo tibi. Vide in Indice, verb. Opus.

Tertio. *Cum verò dicit mortuus est, non id adiecit: vado vt excitem, quia enim re comprobaturus erat, verbis autem dicere noluit*. Quod etiam prius dixit D. Chrysofostomus homil. 61. *Cum mortuum esse, ait, non isidem dixit, vado vt suscitem ipsum, non enim verbis predicare volebat, quod re erat confirmaturus*. Quando somno deditum proponit, adiungit. *Vado vt suscitem eum, non verò quando mortuum declarat*. Quando dormientem dicit Lazarum, discipulos ad intelligentiam, ac cognitionem miraculi disponebat; at verò cum mortuum exprimit, a verbis cauet, iam proprius ad excellentissimum resurrectionis opus accedebat. *Que enim re comprobaturus erat, verbis ante dicere noluit*. Merito enim omittuntur probationes verborum, cum sunt opera, quae rerum celsitudinem testantur. Et ideo cum Dominus esset viuis excitatione agit, ac loquitur, cum autem mortuum proponit, nec vnum verbum facit de suscitatione.

64. Chrysof.

Non sunt necessariae probationes verborum, vbi opera testificantur.

Cum stetit meus Iesus inter accusationes, ac falsa testimonia furentium suorum inimicorum coram Pilato altum silentium obseruauit. *Non respondit ei ad vllum verbum, ita vt miraretur Praeses vehementer*, Matth. 27. num. 14. Cur sic Iesus tacet inter iniurias, ac calumnias, vt nec verbum respondeat, cum aliter videatur praedictum per Prophetam, Psalm. 118. n. ... *Et respondebo exprobrantibus mihi verbum?* Cur Iesus tacet inter tantas exprobrationes, qui praedixit per os Prophetae se responsurum? Nunquid verbum suum non adimpleret? Absit hoc, caelum, & terra transibunt, verba autem mea non praeteribunt. Respondit tamen non verbis, sed operibus; eclipse solis, tenebris factis meridiano tempore super vnuerfam terram, illiusque magno terramotu edito, atque petrarum scissione, & vbi tot, ac tanta opera exhibebantur, merito a verbis abstinet. Simon Caietanus lib. 13. num. 64. *Non respondebat, ait, tunc Christus exprobrantibus sibi verbum, quod dixerat,*

65.

Matth. 27.

Psal. 118.

Res manifestanda, potius operibus, quam verbis.